

medicinam. Sed quia talis est ars in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret; et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo per Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro. Scimus enim et certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates ejus. Dominus vobiscum.

ENARRATIO

IN PSALMUM LXII.

Sermo ad plebem.

I. PROPTER eos qui forte rudes sunt adhuc ad nomen Christi; quia undique colligit qui pro omnibus dedit sanguinem suum, dicendum est paucis quod et illi libenter audiant qui noverunt, et discant qui non noverunt. Psalmi isti quos cantamus, antequam Dominus noster Jesus Christus natus esset ex virgine Maria, Spiritu Dei dictante dicti et conscripti sunt. Fuit enim David rex in Judæorum gente, quæ gens una colebat Deum unum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in ipsis sunt, sive quæ videntur, sive quæ non videntur. Cæteræ autem gentes, aut idola colebant quæ manibus suis fecerant, aut creaturam Dei, non ipsum Creatorem, id est, aut solem, aut lunam, aut stellas, aut mare, aut montes, aut arbores. Hæc enim omnia Deus fecit; et laudari se vult in illis, non illa coli pro se. Ergo in ipsa gente Judæorum David rex fuit, de cujus semine natus est Dominus noster Jesus Christus ex Maria virgine¹; quia de illo ducebat genus

¹ Rom. 1, 3.

virgo Maria, quæ peperit Christum¹: et dicti sunt isti Psalmi, et prophetabatur in eis Christus venturus post multos annos: et dicebatur ab illis Prophetis, qui fuerunt antequam Dominus noster Jesus Christus de Maria virgine nasceretur, quidquid futurum erat temporibus nostris, quod modo legimus, et videmus: et multum gaudemus, quia spes nostra prædicta est a sanctis, qui illud non videbant impletum, sed in Spiritu futurum videbant: et nos modo legimus et audimus a lectoribus, disputamus illa; et quomodo sunt in Scripturis, sic ea videmus impleri per totum orbem terrarum. Quis inde non gaudeat? quis non et ea quæ nondum venerunt ventura speret, propter illa quæ jam tanta impleta sunt? Modo enim, fratres, videtis, quia totus mundus, tota terra, omnes gentes, omnes regiones currunt ad nomen Christi, et credunt in Christum. Certe videtis hoc, quomodo ubique evertantur vanitates Paganorum, videtis hoc, manifestum est vobis. Numquid et hoc de libro vobis legimus, et non ante oculos vestros fit? Hoc ergo totum quod videtis ante oculos vestros fieri, scriptum est ante immensa volumina annorum per istos quos modo legimus, quando jam ista impleri videmus. Sed quoniam scripta sunt et illa quæ nondum venerunt, id est, quia Dominus noster Jesus Christus venturus est ut judicet, qui primo venit ut iudicaretur; venit enim primo humilis, postea venturus est excelsus; venit ut ostenderet exemplum patientiæ, postea venturus est ut pro meritis judicet omnes, sive bonos, sive malos: quia ergo nondum venit hoc quod speramus, venturum Christum judicem vivorum et mortuorum debemus illud credere. Modicum quod restat venturum esse credamus, quando jam videmus tanta quæ tunc futura erant, modo compleri. Stultus est enim qui non vult

¹ Luc. II, 7.

credere pauca quæ restant, cum videat tam multa impleta esse, quæ tunc non erant quando prædicebantur.

II. Psalmus ergo iste dicitur ex persona Domini nostri Jesu Christi, et capitis et membrorum. Ille enim unus qui natus est de Maria, et passus est, et sepultus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum, et modo ad dexteram Patris sedet et interpellat pro nobis, caput nostrum est. Si ille caput est, nos membra sumus: tota Ecclesia ejus quæ ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput. Non solum autem fideles qui modo sunt, sed et qui fuerunt ante nos, et qui post nos futuri sunt usque in finem sæculi, omnes ad corpus ejus pertinent: cujus corporis ipse caput est, qui ascendit in cœlum¹. Quia ergo jam novimus caput et corpus, ille est caput, nos corpus. Quando audimus vocem ipsius, et ex capite debemus audire, et ex corpore: quia quidquid passus est in illo, et nos passi sumus: quia et nos quod patimur in nobis, et ipse patitur. Quomodo si aliquid patitur caput, numquid potest dicere manus quia non patitur? aut si aliquid patitur manus, numquid potest caput dicere quia non patitur? aut si aliquid patitur pes, numquid potest caput dicere quia non patitur? Quando aliquid patitur unum membrum nostrum, omnia membra currunt ut subveniant membro quod patitur. Si ergo ille cum passus est, nos in illo passi sumus, et ille jam ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris: quidquid patitur Ecclesia ipsius in tribulationibus hujus sæculi, in temptationibus, in necessitatibus, in angustiis, quia sic illam oportet erudiri, ut igne tanquam aurum purgetur, ipse patitur. Probamus hoc, quia nos in illo passi sumus, dicente Apostolo: « Si autem mortui estis cum Christo, » quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis? »

¹ Coloss. 1, 18. — ² Id. 11, 20.

Item dicit: « Quia vetus homo noster simul crucifixus est » cum illo, ut evacuaretur corpus peccati¹. » Si ergo in illo mortui sumus, in illo etiam resurreximus. Dixit enim ipse Apostolus: « Si autem resurrexistis cum Christo, quæ » sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, ubi » Christus est in dextera Dei sedens². » Si ergo in illo mortui sumus et in illo resurreximus, et ipse in nobis moritur et in nobis resurgit; ipse est enim unitas capitis et corporis; non immerito vox ipsius etiam nostra est, et vox nostra etiam ipsius est. Audiamus ergo Psalmum, et in eo Christum loquentem intelligamus.

III. Titulum habet iste Psalmus: « Ipsi David, cum » esset in deserto Idumææ³. » Per Idumææ nomen intelligitur sæculum istud. Idumæa enim gens erat quædam errantium hominum, ubi idola colebantur⁴. Non in bono ponitur Idumæa ista. Si non in bono ponitur, intelligendum est istam vitam, ubi patimur tantos labores et ubi tantis necessitatibus subditi sumus, Idumææ nomine significari. Et hic est desertum ubi multum sititur, et audituri estis vocem modo sitiensis in deserto. Si autem cognoscamus nos sitiens, cognoscemus nos et bibentes. Quia qui sitit in isto sæculo, in futuro sæculo satiabitur, dicente Domino: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia » ipsi saturabuntur⁵. » Ergo in hoc sæculo non debemus quasi amare saginam. Hic sitiendum est, alibi saginabimur. Modo autem ut non deficiamus in isto deserto, aspergit nobis rorem verbi sui, et non nos dimittit prorsus arescere, ut non sit de nobis repetitio, sed ut sic sitiamus, ut bibamus. Ut autem bibamus, aliqua gratia ejus aspergimur: tamen sitimus. Et quid dicit anima nostra Deo?

IV. « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo⁶. » Quid

¹ Rom. vi, 6. — ² Coloss. iii, 1. — ³ Psal. lxxii, 1. — ⁴ 1 Reg. xxi, 9. — ⁵ Matth. v, 6. — ⁶ Psal. lxxii, 2.

est vigilare? Utique non dormire. Quid est dormire? Est somnus animæ, est somnus corporis. Somnum corporis omnes debemus habere: quia si non habeatur somnus corporis, deficit homo, deficit ipsum corpus. Non enim potest diu sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem et intentam in actionibus: si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile et terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuo agentem; et deficit, et succumbit. Ideo Deus donavit somnum corpori, quo reparantur membra corporis, ut possint vigilantem animam sustinere. Illud autem cavere demus, ne ipsa anima nostra dormiat: malus enim est somnus animæ. Bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ est oblivisci Deum suum. Quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Ideo dicit Apostolus quibusdam oblitis Deum suum, et tanquam in somno agentibus deliramenta culturæ idolorum. Sic sunt enim qui colunt idola, quomodo qui vident in somnis vana: si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta est, et non colit quod ipsa fecit. Dicit ergo quibusdam Apostolus: « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis; et illuminabit » te Christus¹. » Numquid corpore dormientem excitabat Apostolus? Sed excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste: « Deus, Deus meus, ad » te de luce vigilo. » Non enim vigilares in te, nisi oriatur lux tua, quæ te de somno excitaret. Illuminat enim animas Christus, et facit eas vigilare: si autem lumen suum detrahat, obdormiunt. Ideo enim illi dicitur in alio Psalmo: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam » in morte². » Aut si ab illo aversæ obdormiunt, præsens est illis lumen, et non possunt videre, quia dormiunt.

¹ Epl. es. v, 14. — ² Psal. xii, 4.

Quomodo et corpore qui dormit inter diem: jam ortus est sol, jam dies calet, et ille tanquam in nocte est, quia non vigilat ut videat jam ortum diem: sic quibusdam, jam præsentem Christo, jam prædicata veritate, inest adhuc somnus animæ. Illis ergo vos, si vigiletis, dicetis quotidie: « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit » te Christus¹. » Vita enim vestra, et mores vestri vigilare debent in Christo, ut sentiant alii Pagani, dormientes, et ad sonitum vigiliarum vestrarum excitentur, et ipsi excusant somnum, et incipiant in Christo vobiscum dicere: « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. »

V. « Sitivit tibi anima mea. » Ecce illud desertum Idumææ. Videte quomodo hic sitit; sed videte quid hic bonum est, « Sitivit tibi. Sunt enim qui sitiunt, sed non Deo. Omnis qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderii: ipsum desiderium sitis est animæ. Et videte quanta desideria sint in cordibus hominum: alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios. Videtis desideria ista, quomodo sunt in cordibus hominum. Ardent omnes homines desiderio: et vix invenitur qui dicat: « Sitivit tibi anima » mea. » Sitiunt enim homines sæculo: et non se intelligunt in deserto esse Idumææ, ubi debet sitire anima ipsorum Deo. Dicamus ergo nos: « Sitivit tibi anima mea: » omnes dicamus, quia in concordia Christi omnes una anima sumus: ipsa anima sitiatur in Idumæa.

VI. « Sitivit tibi, inquit, anima mea: quam multipliciter tibi et caro mea². » Parum est quia sitivit anima mea, sitivit et caro mea. Puta si anima sitit Deo, quomodo et caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, aquam sitit:

¹ Ephes. vi, 4. — ² Psal. lxii, 2.

quando anima sitit, fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriabuntur animæ nostræ, sicut dicit alius Psalmus : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos¹. » Sitienda est ergo sapientia, sitienda est justitia. Non ea satiabimur, non ea implebimur, nisi cum fuerit finita vita ista, et venerimus ad illud quod promisit Deus. Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum² : et modo Angeli non sitiunt quomodo nos, non esuriunt quomodo nos ; sed habent saginam veritatis, lucis, immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt, et de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Jerusalem cœlesti, unde nos modo peregrinamur, attendunt nos peregrinos, et miserantur nos, et jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, et ibi cum illis fonte dominico veritatis et æternitatis aliquando saturemur. Modo ergo siciat anima nostra : unde et caro nostra sitit, et hoc multipliciter ? « Multiplīciter tibi, inquit, et caro mea. » Quia et carni nostræ promittitur resurrectio. Quomodo animæ nostræ promittitur beatitudo, sic et carni nostræ promittitur resurrectio. Resurrectio carnis talis nobis promittitur : Audite, et discite, et tenete quæ sit spes Christianorum, quare sumus Christiani. Non enim ad hoc sumus Christiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent et latrones et scelerati. Ad aliam felicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus, cum vita ista hujus sæculi tota transierit. Ergo promittitur nobis et carnis resurrectio ; et talis resurrectio carnis nobis promittitur, ut caro quidem ista quam modo portamus, resurgat in fine. Nec incredibile vobis videatur. Si enim Deus fecit nos qui non eramus, magnum illi est reparare qui eramus ? Ergo hoc vobis incredibile non videatur.

¹ Psal. xxxv, 9. — ² Luc. xx, 36.

tur, quia quasi putrescere mortuos videtis, et ire in cineres et in pulverem. Aut si incendatur aliquis mortuus, aut si canes dilanient eum, putatis quia inde non erit resurrecturus ? Omnia quæ discernuntur et in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt, quando facti sumus : non illa videmus ; sed tamen Deus unde scit producet illa, quia et antequam essemus, unde sciebat nos produxit. Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, ut quamvis ipsa sit caro quam modo portamus, quæ resurrectura est, tamen non habeat corruptionem quam modo habet. Modo enim ex corruptione fragilitatis, si non manducemus, deficimus et esurimus ; si non bibamus, deficimus et sitiimus ; si diu vigilemus, deficimus et dormimus ; si diu dormiamus, deficimus, ideo vigilamus ; si diu manducemus et bibamus, quamvis propter refectionem manducemus et bibamus, ipsa diuturna reffectio defectio est ; si diu stemus, fatigamur, ideo sedemus ; et si diu sedeamus, et ibi fatigamur, et ideo surgimus. Deinde videte quia nullus est carnis nostræ status : quoniam infantia avolat in pueritiam, et quæris infantiam, et non est infantia, quia jam pro infantia pueritia est : iterum et ipsa migrat in adolescentiam, quæris pueritiam et non invenis : adolescens fit juvenis, quæris adolescentem, et non est : juvenis fit senex, quæris juvenem, et non invenis : et senex moritur, quæris senem, et non invenis. Non stat ergo ætas nostra : ubique fatigatio est, ubique lassitudo, ubique corruptio. Attendentes qualem nobis spem resurrectionis promittat Deus, in istis omnibus multiplicibus de fectionibus nostris sitimus illam incorruptionem : et sic caro nostra multipliciter sitit Deo. In ista Idumæa, in isto deserto, quam multipliciter laborat, tam multipliciter sitit ; quam multipliciter fatigatur,

tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem.

VII. Quanquam, fratres mei, boni Christiani et fidelis etiam in hoc sæculo caro Deo sitit: quia si opus est carni pane, si opus est aqua, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est jumento carni huic, a Deo petere debet, non a dæmoniis et idolis et a nescio quibus potestatibus hujus sæculi. Sunt enim qui quando famem patiuntur in isto sæculo, dimittunt Deum, et rogant Mercurium, aut rogant Jovem ut det illis, aut quam dicunt Coelestem (1), aut aliqua dæmonia similia: non Deo sitit caro ipsorum. Qui autem Deo sitiunt, undique debent sitire, et anima et carne: quia et animæ Deus dat panem suum, id est, verbum veritatis; et carni Deus dat quæ necessaria sunt, quia Deus fecit et animam et carnem. Propter carnem tuam rogas dæmonia: numquid animam Deus fecit, et carnem tuam dæmonia fecerunt? Qui fecit animam, ipse fecit et carnem: qui fecit ambas res, ipse pascit ambas res. Utrumque nostrum Deo siliat, et ex labore multiplici simpliciter satietur.

VIII. Ubi autem sitit anima nostra, et multipliciter caro nostra, non cuicumque, sed tibi, Domine, id est, Deo nostro; ubi sitit? « In terra deserta, et sine via, et sine » aqua¹. » Sæculum istud diximus, ipsa est Idumæa, hoc est desertum Idumææ, unde titulum Psalmus accepit. « In terra deserta. Parum est deserta, » ubi nullus hominum habitat; insuper: « Et sine via et sine aqua. » Utinam vel viam haberet ipsum desertum: utinam illuc homo incurrens, vel nosset qua inde exiret. Non videt hominem ad solatium, non videt viam qua careat deserto. Ergo ibi divertit. Utinam esset vel aqua, unde reficeretur, qui inde non potest exire. Malum desertum, horribile et timendum: et tamen Deus misertus est nostri, et fecit

¹ I. LXII, 3.

nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum¹; et fecit nobis consolationem in deserto, mittendo ad nos prædicatores verbi sui; et dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto prædicatores suos, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam². Et ecce habemus hic omnia, sed non sunt de deserto. Ergo proprietatem deserti prius commendavit Psalmus, ut et tu cum audisses in quo malo esses, si quas hic habere posses consolationes, vel sociorum, vel viæ, vel aquæ, non tribueres deserto, sed illi qui te visitare dignatus est in deserto.

IX. « Sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam » tuam et gloriam tuam³. » Primo sitivit anima mea, et caro mea multipliciter tibi in deserto, et in terra sine via et sine aqua, et « Sic in sancto apparui tibi, ut viderem » potentiam tuam et gloriam tuam. » Nisi quis primo siliat in isto deserto, id est, malo in quo est, nunquam pervenit ad bonum quod est Deus. « Apparui autem tibi, inquit, » in sancto. » Jam in sancto est magna consolatio. « Apparui tibi, » quid est? Ut videres me: et ideo vidisti me ut viderem te. « Apparui tibi, ut viderem. » Non dixit: Apparui tibi ut videres: sed, « Apparui tibi, ut viderem potentiam tuam et gloriam tuam. » Unde et Apostolus: « Nunc autem, inquit, cognoscentes Deum, » imo cogniti a Deo⁴. » Prius enim apparuistis Deo, ut possit vobis apparere Deus. « Ut viderem potentiam tuam » et gloriam tuam. » Revera in isto deserto, id est, in ista eremo, si tanquam ab eremo exigat homo quod sibi saluti est, nunquam videbit potentiam Domini et gloriam Domini; sed remanebit siti moriturus, nec viam inveniet, nec consolationem, nec aquam per quam duret in eremo. Cum autem erexerit se ad Deum, ut dicat illi ex medullis omnibus: « Sitivit tibi anima mea, quam multipliciter

¹ Joan. XIV, 6. — ² Id. IV, 14. — ³ Psal. LXII, 3. — ⁴ Gal. IV, 9.

» tibi et caro mea : » ne forte vel necessaria carnis ab aliis petat et non a Deo, aut non desideret illam resurrectionem carnis quam nobis promittit Deus : cum ergo se exerit, habebit non parvas consolationes.

X. Ecce, fratres, quomodo caro nostra quandiu mortalis est, quandiu fragilis est, ante illam resurrectionem habet solatia ista quibus vivimus, panem, aquam, fructus, vinum, oleum; (ista omnia solatia et subsidia si nos deserant, utique durare non possumus;) quamvis nondum receperit caro ista sanitatem illam perfectam, ubi nullam patietur angustiam, nullam indigentiam : sic et anima nostra cum hic est in ista carne, inter tentationes et pericula sæculi hujus, adhuc est infirma; habet etiam ipsa solatia verbi, solatia orationis, solatia disputationis : sic sunt ista animæ nostræ, quomodo illa carnis nostræ. Cum autem resurrexerit caro nostra, ut jam istis non indigeamus, habebit locum quemdam et statum incorruptionis suæ : sic et anima nostra habebit cibum suum ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia¹. Tamen gratias Deo, qui modo in hac eremo non nos deserit, sive dando nobis quod necessarium est carni, sive dando nobis quod animæ necessarium est : et quando nos aliquibus necessitatibus erudit, vult ut amplius illum diligamus; ne forte per saginam corrumpamur, et obliviscamur eum. Subtrahit nobis aliquando quæ necessaria sunt, et atterit nos; ut sciamus quia Pater et Dominus est, non solum blandiens, sed et flagellans. Præparat enim nos cuidam hæreditati incorruptibili et magnæ. Si unam cuppam, aut unam cellam tuam, aut si quid habes in domo tua, cogitas dimittere filio tuo, et ne perdat illud, erudis eum, et flagellis eum ad disciplinam corrigis, ne perdat nihil tuum, quod et ipse hic dimissurus est, sicut et tu; non vis ut nos erudiat Pater noster in flagellis

¹ Joan. 1, 3

etiam necessitatum aut tribulationum, qui nobis talem hæreditatem daturus est, quæ transire non possit? Hæreditatem enim nobis dabit se ipsum Deus, ut ipsum possideamus, et ab ipso possideamur in æternum.

XI. Ergo in sancto appareamus Deo, ut appareat nobis : appareamus illi in sancto desiderio, ut appareat nobis in potentia et gloria Filii Dei. Multis enim non apparuit : sint in sancto, ut appareat et illis. Nam multi putant illum tantummodo hominem fuisse, quia prædicatur natus ex homine, crucifixus et mortuus, ambulasse in terra, manducasse et bibisse, et cætera egisse, quæ sunt humana; et putant illum talem fuisse, quales sunt cæteri homines. Audistis autem modo cum Evangelium legeretur, quomodo commendavit majestatem suam : « Ego et Pater unum sumus¹. » Ecce quanta majestas et quanta æqualitas Patris descendit ad carnem propter infirmitatem nostram. Ecce quantum dilecti sumus, antequam Deum diligereamus. Si antequam Deum diligereamus, tantum ab illo dilecti sumus, ut æqualem sibi Filium suum hominem faceret propter nos, quid nobis servat jam diligentibus se? Ergo multi nescio quid minimum putant apparuisse in terra Filium Dei; quia non sunt in sancto, non eis apparet potentia ipsius et gloria ipsius : id est, quia nondum sanctificatum habent cor, unde intelligant eminentiam virtutis illius, et gratias agant Deo, quia propter ipsos tantus quo venit, ad quam nativatem, ad quam passionem, non possunt videre gloriam ipsius et potentiam ipsius.

XII. « Quoniam melior est misericordia tua super vitas². » Multæ sunt vitæ humanæ, sed Deus unam vitam promittit : et non illam dat nobis quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Quid enim boni egimus, ut illud mereremur? Aut quæ bona facta nostra

¹ Joan. x, 30. — ² Psal. LXII, 4.